



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quomodò omnes damnantur, qui non credunt in Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

vocatis me, Domine Domine, & non facitis quę dico vobis? Credere igitur verbo Dei, est credere in Deum: est quoque obedire mandatis eius, ne dicatur de nobis quod Apostolus ait ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: credere ergo in Deum, est omnem spem & fiduciam in illum locare, tanquam in summum bonum & omnipotentem Dominum, cui nihil resistere potest, qui omnia habet in sua manu, quique diues est in omnes, illum inuocantes, qui solus labores & dolores cōsiderat Psal. 9. cui etiam omnia nuda & aperta sunt: summa, nihil deesse poterit qui Deum habuerit pro Deo suo, ipsumq; vt Deum glorificauerit, Roman. 1.

Sunt aliqui qui negant esse Deum aliquem, & omnia fieri ex incerto, sicut fuerunt olim Protagoras, Epicurus, Anaxagoras, qui dixerunt nullum esse Deum, nec curare mortalia: & illi recto vocabulo Athei, id est, sine Deo, præ cęteris Philosophis vocabantur, & de illis dicit Dauid Psal. 13. Dixit inspiens in corde suo, Non est Deus: & omnes illi damnati sunt, & damnantur adhuc omnes, qui sic viuunt, quasi nō sit Deus, non illum timent, nec laudant, nec agnoscunt. Ideo nos dicimus, Credo in vnum Deum, id est, quod talis sit, omnia gubernans. Sunt quoq; qui plures credunt Deos, sicuti Pagani, qui varia idola & plures Deos colunt, de quibus dicit Dauid Psal. 113. Simulacra gentium argentū & aurum, opera manuum hominum. & iterum: Dij gentium dæmonia: & ideò præcipit Deus Exod. 20. Non habebis Deos alienos corā me. Igitur & illi sunt damnati, verum Deum non agnoscetes: quare inquit Christus Ioan. 17. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te solū Deum verum, & quę misisti Iesum Christum. Nos igitur credimus & confitemur vnum Deū, sicut scriptura docet Deut. 6. Audi Israhel, Deus tuus vnus est, vnus scilicet verus Deus: Et licet sint tres persone, est tamen vna natura &



essentia, Matt. vlt. Christus expressit tres personas & unitatem naturę, inquit: Baptizate eos in nomine (non in nominibus, sed in nomine) Patris & Filij & Spiritus sancti. Est igitur hæc fides Catholica, vt vni Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in unitate naturę veneremur, vt inquit D. Athanasius in suo Symbolo, Quicumq; vult saluus esse, &c. Inexpiabile igitur scelus est, non credere, aut spem suam non ponere in summè sapientem, summè bonum, & summè potentem Deum.

*PATREM OMNIPOTENTEM,*  
creatorem cœli & terrę.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit credere in Deum patrem.*
2. *Quid Deus pater filiis suis, id est, credentibus vult dare in presenti & in futura vita.*
3. *Quam sit res gloriosa, esse & dici filium Dei, & habere Deum pro patre.*

1.



Redere in Deum patrem, est credere q̄ Deus qui est omnipotens, qui est creator cœli & terrę ac omnium creaturarum, sit pater tuus, & multo maiorem curam de te habeat, quã carnalis pater, sicut dicit per prophetam Esai. 49. Nunquid potest obliuisci mater pueri sui? & si ipsa obliuiscitur, ego tamen non &c. & 1. Petr. vltim. Ipsi enim est cura de vobis. Est quoque certa fiducia, credere & tenere, quòd Deus pater noster est omnipotens, ne quis de potentia Dei patris in iuando dubitet. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos &c. Rom. 8. neq; creatura, neque mors, neque diabolus: Si Deus iustificat, quis